

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA

**S. ANTONII PATAVINI, O.Min.
DOCTORIS EVANGELICI**

Themata sermonis

Tertium evangelium in Quinquagesima: *Caecus sedebat secus viam.* In primis sermo ad praedicatores, ibi: *Tulit Samuel.* Item sermo contra superbum, ibi: *Caecus sedebat;* et de proprietate nidi et sanguinis menstrui.

Item sermo contra tepidos et luxuriosos, ibi: *Contigit ut quadam die.*

Item sermo de Passione Christi, ibi: *Piscem exentera etc.*

Item sermo ad Ecclesiae praelatos, ibi: *Labia sacerdotis.*

Item sermo de Passione Christi, ibi: *Tradetur enim gentibus etc.*

Exordium. Sermo ad praedicatores

1. --- *Caecus sedebat secus viam, et clamabat: Miserere tnei, fili David (Lc 18, 35.38).*

Dicitur in primo libro Regum: *Tulit Samuel lenticulam olei et effudit super caput Saul (1 Reg 10, 1).* Samuel interpretatur postulatus et significat praedicatorem, precibus Ecclesiae postulatum a Iesu Christo, qui dicit in Evangelio: *Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (Mt 9, 38).* Hic debet accipere lenticulam olei, quae est vas quadrangulum, idest evangelicam doctrinam, quae dicitur quadrangula propter quattuor evangelistarum dicta, et ex ea debet effundere oleum

praedicationis super caput Saulis, idest mentem peccatoris. Saul enim interpretatur abutens et bene significat peccatorem, qui abutitur donis gratiae et naturae.

Et nota quod oleum inungit et illuminat. Sic praedicatio pellem dierum malorum inveteratam (Cf. Dan 13, 52) et peccatis obduratam, peccatoris scilicet conscientiam, inungit et tractabilem facit; vel athletam Christi inungit et ad pugnam, contra aereas potestates debellandas, transmittit. Unde dicitur in tertio libro Regum, quod Sadoc inunxit Salomonem in Gihon (Cf. 3 reg 1, 45). Sadoc interpretatur iustus et significat praedicatorem, qui tamquam sacerdos sacrificium istitiae offert in ara Passionis dominicae. Hic inunxit Salomonem, qui interpretatur pacificus, in Gihon, quod interpretatur lucta; praedicator enim oleo praedicationis debet inungere peccatorem conversum in lucta, ut diabolo suggesti non consentiat, carnem blandientem conterat, mundum decipientem contemnat. Oleum etiam illuminat, quia praedicatio illuminat oculum rationis, ut videre valeat radium veri solis. In nomine ergo Iesu Christi accipiam lenticulam huius sancti evangelii, et ex ea effundam oleum praedicationis, quo illuminentur oculi istius caeci, de quo dicitur: *Caecus sedebat* etc.

2 --- In hac dominica dicitur Evangelium de caeci illuminatione, in quo fit mentio de Christi Passione, et legitur et cantatur historia de Abrahae peregrinatione et ipsius filii Isaac immolatione. Et in introitu missae: *Esto mihi in Deum protectorem*, et dicitur epistola beati Pauli ad Corinthios: *Si linguis hominum loquar et angelorum* etc. Ad honorem ergo Dei et vestrae animae illuminationem haec omnia concordemus.

I - De caecitate animae

3. --- *Caecus sedebat* etc. *Omnibus aliis caecis illuminatis praetermissis, de tribus tantum volumus facere mentionem.*

Nota: primus est evangelicus *caecus a nativitate, sed luto et sputo illuminatus* (Cf. Io 9, 1-7); secundus, Tobias, *stercore hirundinum excaecatus, sed felle piscis curatus* (Cf. Tob 2, 11; 11, 13-15); tertius, Laodiciae episcopus, cui in Apocalypsi dicit Dominus: *Nescis quia tu es miser et miserabilis, pauper, caecus et nudus. Suadeo tibi a me emere aurum ignitum et probatum ut locuples fias, et vestimentis albis induaris et non appareat confusio nuditatis tuae; et collyrio inunge oculos tuos, ut videas* (Apoc 3, 17-18). Quilibet istorum quid significant videamus.

Caecus a nativitate humanum genus, in primis parentibus excaecatum, ALLEGORICE significat; quem *caecum* Iesus illuminavit, cum in terram spuit et super oculos eius lutum linivit. Sputum descendens a capite significat divinitatem, terra significat humanitatem. Sputi et terrae coniunctio divinae et humanae naturae est unio, qua illuminata fuit humana generatio. Et haec duo significant verba caeci, secus viam sedentis et clamantis: *Miserere mei, quod spectat ad divitatem, fili David, quod ad humanitatem.*

4. --- MORALITER. *Gaucus* iste superbum significat, cuius superbia sic describitur ab Abdia propheta: *Si exaltatus, inquit, fueris ut aquila, et inter sidera posueris nidum tuum, inde te detrahiam, dicit Dominus* (Abd 1, 4). Aquila, ceteris avibus altius volans, superbum significat, qui duabus alis, arrogantia scilicet et vanagloria, omnibus altior appetit videri. Huic dicitur: *Si inter sidera, idest inter sanctos, qui in hoc loco calighoso tamquam sidera in firmamento lucent, posueris nidum tuum, idest vitam tuam, inde te detrahiam, dicit Dominus.* Superbus enim

vitae suae nidum collocare nititur in consortio sanctorum. Unde Iob: *Penna struthionis, idest hypocritae, similis est pennis herodii et accipitris, idest viri iusti.* Et nota quod nidus tria habet in se: mollibus interius componitur, duris et asperis exterius construitur, in incerto loco, vento expositus, collocatur. Sic vita superbi quamdam mollitiem, idest carnalem delectationem, habet interius, sed spinis et lignis aridis, idest operibus mortuis, est circumdatus exterius; vento etiam vanitatis expositus, in incerto collocatur, quia nescit an sero an mane si de medio tollatur. Et hoc est quod subinfertur: *Inde te detrahām, idest deorsum ad inferos traham, dicit Dominus.* Unde in Apocalypsi: *Quantum se exaltavit et in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum (Apoc 18, 7).*

5. --- Et nota quod iste caecus superbus illuminatur sputo et luto. Sputum est semen patris, quod emittitur in lutuosam matricem matris, in qua generatur miserabilis homo; quem superbia non excaecasset, si tam miseram suae generationis conditionem attendisset. Unde Isaias: *Attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci de qua praecisi estis (Is 51, 1).* Petra est pater noster carnis; caverna laci est matrix nostrae matris. Ab illo excidimus in foetida seminis effusione, ab ista praecidimur in dolorosa parturitione.

Quid ergo superbis, o miser homo, tam vili sputo genitus, tam horribili lacu procreatus, et ibidem novem mensibus sanguine menstruo nutritus? Quo si contactae fuerint fruges, non germinabunt, acescent musta, morientur herbae, amittent arbores foetus, ferrum rubigo corripiet, nigrescent aera, et si quid canes inde ederint in rabiem efferebuntur, nocituri morsibus, quibus lymphaticos faciunt. Ceterum ipsae feminae quibus minus est necessitatis, quamdiu sint in sua lege, non innocentibus oculis contuentur. Aspectu specula vitiant, ita ut hebetetur visu fulgor offensus, et solitam

aemulationem vultus extinctus splendor amittat, faciesque obtusi nitoris quadam caligine nubiletur. Si haec, o miser homo, o superbe caece, attenta mente tecum pertractaveris et te genitum luto et sputo consideraveris, vere, vere illuminaberis, vere humiliaberis.

Et quod supradicta auctoritas Isaiae de carnali generatione intelligatur, apertissime ostenditur, cum subditur: *Attendite ad Abraham, patrem vestrum, et ad Saram, quae peperit vos (Is 51, 12)*. Huic superbo caeco praecipit Dominus, dicens: *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* etc. (Gen 12, 1). Nota hic tria genera superbiae: contra inferiorem, aequalem et superiorem. Superbus conculcat, contemnit et subsannat: conculcat inferiorem quasi terram, quae dicitur a *tero teris*; contemnit aequalem quasi cognationem; superbus enim cognatos et affines de facili contemnit et scandalizat; subsannat etiam superiorem quasi domum patris. Superior dicitur *domus patris*, quia sub eo subditus, quasi sub domo paterna filius, debet se abscondere a pluvia carnis concupiscentiae, a tempestate persecutionis daemoniacae, ab ardore prosperitatis mundanae. Sed caecus superbus subsannatione, quae fit naso corrugato, subsannat superiorem. Dicit ergo Dominus: *Egredere, o superbe caece, de terra tua, ne conculces inferiorem; egredere de cognatione tua, ne contemnas aequalem, et de domo patris tui, ne subsannes superiorem*.

6. --- Sequitur: *Et vade in terram, quam monstravero tibi*. Terra est humanitas Iesu Christi, de qua dicit Dominus Moysi in Exodo: *Solve calceamenta de pedibus tuis; quia locus in quo stas, terra sancta est (Ex 3, 5)*. Calceamenta sunt opera mortua, quae de pedibus, idest affectibus tuae mentis, debes solvere, idest auferre, quia terra, idest humanitas Iesu Christi, in qua stas per fidem,

sancta est, te peccatorem sanctificans. Vade ergo, o superbe, in terram, considera Christi humanitatem, attende ipsius humilitatem, deprime cordis tui tumorem. Vade, inquam, passibus amoris, accede humilitate cordis, dicens cum Propheta: *In veritate tua humiliasti me* (*Ps 118, 75*). O Pater, in veritate tua, idest in Filio tuo, humiliato, egeno et peregrino, humiliasti me: humiliato, inquam, in utero Virginis; egeno in praesepio pecoris; peregrino in patibulo crucis. Nihil enim sic humiliat superbum peccatorem sicut humilitas humanitatis Iesu Christi. Unde Isaías: *Utinam dirumperes caelos et descenderes; a facie tua montes defluerent* (*Is 64, 1*). A facie eius, idest praesentia humanitatis Iesu Christi, montes, idest superbi, defluunt et a seipsis deficiunt, cum caput divinitatis considerant inclinatum in uterum Virginis Matris.

Vade ergo in terram, quam tibi quasi digito monstravi in flumine Iordanis, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Mt 3, 17*). Eris et tu dilectus, in quo mihi complacui, filius, gratia adoptivus, si exemplo Filii mei, mihi coequalis, fueris humiliatus; quem ideo tibi monstravi, ut ex vitae ipsius forma, tuae vitae conversationem informares, informatus lumen reciperes, et sic audire posses: *Respice, fides tua te salvum fecit* (*Lc 18, 42*), te ipsum illuminavit.

7. --- Secundus caecus, stercore hirundinum excaecatus, sed felle piscis curatus, est Tobias, de quo dicitur in eiusdem libro: *Contigit ut quadam die, fatigatus a sepultura, veniens domum, iactasset se iuxta parietem et obdormisset, et ex nido hirundinum dormienti illi inciderent stercora super oculos eius fieretque caecus* (*Tob 2, 10-11*). Tobias, sepultura, domus, paries, obdormitio, nidus, hirundines et ipsarum stercora quid significant breviter videamus. Tobias, iustus tepidus; sepultura, poenitentia; domus, carnis cura; paries, ipsius

voluptas; obdormitio, negligentiae torpor; nidus, mentis effeminatae consensus; hirundines, daemones; stereora, gula et luxuria. Dicamus ergo: *Tobias, fatigatus a sepultura etc.*

Tobias significat iustum tepidum, de quo dicit Dominus in Apocalypsi: *Quia neque frigidus es, timore poenae, neque calidus, amore gratiae, sed quia tepidus es, ideo incipiam te evomere ex ore meo (Apoc 3, 15-16).* Sicut enim aqua tepida provocat vomitum, sic tepiditas et negligentia a ventre divinae misericordiae expellit otiosum et tepidum. Maledictus, inquit Ieremias, qui opus Domini fecerit negligenter.

Hic fatigatus a sepultura venit domum, cum in labore poenitentiae - in qua et sub qua debet abscondere mortua corpora, idest mortalia peccata, ut sit de illis quibus dicitur: Beati quorum tecta sunt peccata (Ps 31, 1) - taedio afficitur et ad carnis suae curam, quam contra Apostolum facit, in desideriis revertitur.

Unde et subditur: lactavit se iuxta parietem. Paries est carnis voluptas. Sicut enim in pariete lapis lapidi superponitur et caemento conglutinatur, sic in carnis voluptate peccatum visus peccato auditus et peccatum auditus peccato gustus, et sic de singulis, coniungitur, et caemento malae consuetudinis tenaciter colligatur; et obdormit negligentiae torpore dissolutus, et tunc fit stercoratio hirundinum super oculos dormientis.

Hirundines, propter citissimum volatum, daemones significant, quorum superbia super astra caeli ad altitudinem nubium, ad aequalitatem Patris, ad similitudinem Filii voluit advolare (Cf. Is 14, 13-14).

Daemonum nidus est effeminatae mentis consensus, plumis vanaegloriae et luto lasciviae confectus. Ex tali

nido cadunt stercora gulæ et luxuria super oculos dormientis Tobiae, et sic excaecantur oculi, idest ratio et intellectus, infelicitas animæ.

8. --- Attendite, carissimi, et cavete vobis a tam infelici processu: a taedio enim sepulturae, idest poenitentiae, pervenitur ad domum carnalis curae; quae, sub specie necessitatis, collocat se iuxta parietem voluptatis, in qua, dum somno negligentiae deprimitur, stercore luxuria excaecatur. Unde Poeta: Quaeritur, Aegisthus quare sit factus adulter. In promptu causa est: desidiosus erat. Clama ergo, o Tobia tepide, o luxuriose caece, qui iaces secus parietem: *Miserere mei, fili David.*

Unde iste caecus, in introitu hodiernae missae, orat illuminari, dicens: *Esto mihi in Deum protectorem* etc. (Ps 30, 3-4). Nota quod quattuor petit: primo, cum dicit: *Esto mihi in Deum protectorem*, ut brachiis expansis in cruce, tamquam gallina pullos suos sub alas suas, protegas et defendas; secundo, cum dicit: *et in locum refugii*, ut in latere tuo, lancea perfosso, locum inveniam refugii, quo abscondi valeam a facie inimici; tertio, cum dicit: *quoniam firmamentum meum*, ne cadam, *et refugium meum*, idest retrofugium meum, *es tu*, ut si cecidero ad te non ad alium refugiam; quarto, cum dicit: *et propter nomen tuum*, quod est *Filius David*, *dux mihi caeco eris*, quia manum misericordiae dabis, *et enutries me lacte tuae gratiae*. *Miserere ergo mei, fili David.*

II - De Passione Christi

9. --- Dei et David Filius, magni consilii angelus, humani generis medicina et medicus, tibi in eodem libro consulit, dicens: Piscem exentera, fel extrahe, oculos inunge (Cf. Tob 6, 5.9), et sic visum poteris recipere. Piscis, ALLEGORICE, est Christus, qui pro nobis in craticula crucis fuit assatus. Huius fel est amaritudo Passionis, qua

si animae tuae oculi inuncti fuerint visum recipies. Amaritudo enim Passionis dominicae expellit omnem caecitatem luxuria et omne stercus carnalis concupiscentiae. Unde quidam sapiens: Memoria crucifixi vitia crucifigit. Unde dicitur in libro Ruth: *Intinge buccellam tuam in aceto* (*Ruth 2, 14*). Buccella est miserae carnis momentanea delectatiuncula, quam debes intingere in aceto, idest in amaritudine Passionis Iesu Christi.

Unde tibi praecipit Dominus quod praecepit Abrahae in presentis dominicae historia, dicens: *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis; et offer illum ibi mihi in holocaustum* (*Gen 22, 2*). Isaac interpretatur risus vel gaudium et significat MORALITER carnem nostram, quae ridet, quando temporalia ei arrident, et gaudet, cum sua desideria complet. De his duobus dicit Salomon in Ecclesiaste: *Risum, idest temporalia, reputavi errorem, quia errare a via veritatis faciunt, et gaudio, scilicet carnis, dixi: Quid frustra deciperis?* (*Eccle 2, 2*).

Tolle ergo filium tuum, carnem tuam, quam diligis, quam tam affectuose nutris, et, miser, nescis quia non est efficacior pestis ad nocendum quam familiaris inimicus? *Qui delicate, inquit Salomon, a pueritia nutrit servum suum, sentiet eum contumacem* (*Prov 29, 21*). *Tolle ergo, tolle, crucifige, crucifige eum* (*Io 19, 15*). *Reus est mortis* (*Mt 26, 66*). Respondet Pilatus, idest carnalis affectus: *Quid enim mali fecit?* (*Mt 27, 23; Lc 23, 22*). O quanta mala tuus risus, tuus filius fecit! Deum contempsit, proximos scandalizavit, propriae animae mortem intulit. Et tu dicis: *Quid mali fecit? Tolle ergo eum et vade in terram visionis.*

10. --- Terra visionis fuit dicta Ierosolyma, de qua dicitur in Evangelio hodierno: *Assumpsit Iesus duodecim*

discipulos suos secreto, et ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam (Mt 20, 17-18).

Assume et tu filium tuum, et ascende cum Iesu et apostolis Ierosolymam, et ibi offer in altari, idest in consideratione dominicae Passionis, in cruce poenitentiae, in holocaustum corpus tuum. Et nota quod dicit in holocaustum. Holocaustum dicitur ab *holon*, quod est *totum*, et *cauma*, quod est *incensio*; inde holocaustum, quasi *totum incensum*. Totum ergo filium tuum, totum corpus tuum offer Iesu Christo, qui se totum obtulit Deo Patri, ut totum destrueret corpus peccati (Cf. Rom 6, 6).

Nota quod, sicut corpus humanum constat ex quattuor elementis: igne, aere, aqua, terra: ignis viget in oculis, aer in ore, aqua in lumbis, terra in manibus et pedibus; sic in corpore peccatoris, peccato servientis, ignis viget in oculis per curiositatem, aer in ore per loquacitatem, aqua in lumbis per luxuriam, terra in manibus et pedibus per crudelitatem. Sed Dei Filius faciem, in quam desiderant angeli prospicere (Cf. 1 Pt 1, 12), habuit velatam, ut oculorum tuorum reprimeret curiositatem; coram se non dico tondente sed occidente obmutuit, et dum male tractaretur non aperuit os suum (Cf. Is 53, 7; Act 8, 32), ut refrenaret tuam loquacitatem; latus eius lancea fuit apertum, ut a te educeret luxuria humorositatem; manibus et pedibus clavis fuit affixus, ut a tuis manibus et pedibus expelleret crudelitatem. Tolle ergo filium tuum, risum tuum, carnem tuam, et offer illum totum in holocaustum, ut totus caritate ardeas, quae operit multitudinem peccatorum (1 Pt 4, 8).

De qua dicit Apostolus in hodierna epistola: *Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens (1 Cor 13, 1)*. Dicit AUGUSTINUS: Caritatem voco motum animi ad fruendum Deum propter ipsum, et se

atque proximum propter Deum.

Quam qui non habet, quamvis multa bona, de genere scilicet bonorum, faciat, frustra laborat; et ideo dicit Apostolus: *Si linguis hominum* etc. Caritas Dei Filium duxit ad crucis patibulum. Unde in Canticis: *Fortis est ut mors dilectio* (*Cant 8, 6*). Ibi beatus BERNARDUS: O caritas, quam forte est vinculum tuum, quo etiam Dominus ligari potuit. Tolle ergo filium tuum et offer illum in altari Passionis Iesu Christi, cuius felle, idest amaritudine, illuminaberis, et audire mereberis: *Respice, fides tua te salvum fecit* (*Lc 18, 42*) te illuminavit.

11. --- Vel aliter. Tobias felle piscis fuit illuminatus. Caro piscis est dulcis, fel est amarum; quo si caro piscis respergitur tota in amaritudinem convertitur. Caro piscis est delectatio luxuria, fel intus latens est amaritudo mortis aeternae. Unde lob, simili sensu sed dissimili verbo, dicit: *Radix iuniperorum cibus eorum* (*lob 30, 4*). Nota quod radix iuniperi dulcis est et comestibilis, sed habet spinas pro foliis; sic luxuria delectatio, quae est cibus carnalium, in praesenti videtur dulcis, sed in fine parturiet punctiones aeternae mortis.

***Exentera ergo piscem,* idest considera peccati delectationem, quam sit vilis. *Extrahe fel,* idest attende poenam, quae debetur peccato, quomodo sit infinibilis, et sic omnem tuae carnis dulcedinem poteris convertere in amaritudinem.**

12. --- Tertius caecus fuit Laodiciae angelus, collyrio illuminatus. Laodicia interpretatur tribus amabilis Domino, et significat sanctam Ecclesiam, pro cuius amore sanguinem suum Dominus fudit, et ex ea, tamquam de tribu Iuda, *regale sacerdotium* (*1 Pt 2, 9*) elegit. Angelus ergo Laodiciae est episcopus vel praelatus sanctae Ecclesiae, qui bene dicitur angelus propter officii sui

dignitatem, de quo Malachias propheta: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est (Mal 2, 7).*

Nota quod in hac auctoritate quinque notantur, episcopo vel praelato Ecclesiae valde necessaria: vita scilicet, fama, scientia, caritatis abundantia, puritatis talaris tunica. *Labia sacerdotis* sunt duo: vita scilicet et fama, quae debent custodire scientiam, ut quod scit et praedicat, vita quoad se, scientia quoad proximum, custodiat. Ex his enim duobus labiis procedit scientia fructuosae praedicationis. Et si haec tria in praelato praecesserint, ex ore eius subditi exquirent legem, idest caritatem, de qua Apostolus: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem,* idest caritatem, Christi (Gal 6, 2), qui onera peccatorum nostrorum sola caritate in corpore suo portavit super lignum. Lex est caritas, quam subditi *exquirunt*, idest extra quaerunt, prius in opere, ut ipsi postmodum suavius et fructuosius suscipiant ex praelati ore: *Coepit enim Iesus facere et docere (Act 1, 1).* Erat enim *potens in opere et sermone (Lc 24, 19).*

13. --- Sequitur: Quia angelus Domini exercituum est. Ecce puritatis intimae stola. In carne enim praeter carnem vivere, ut dicit HIERONYMUS, non humanae sed caelestis est naturae. Sed angelo Laodiciae, idest praelato Ecclesiae, his quinque virtutibus carenti, improperat Dominus, cum subiungit: *Tu miser es et miserabilis, caecus, pauper et nudus.* Miser es in vita, miserabilis in fama, caecus in scientia, pauper in caritate, nudus puritatis talari tunica. Sed quia Dominus novit contraria contrariis curare, et cum corripit erudit et dum pungit inungit, ideo consultit caeco Laodiciae episcopo, cum subdit: *Suadeo tibi a me emere aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris ut non appareat confusio nuditatis tuae; et collyrio inunge oculos tuos ut videas.* *Suadeo tibi* inquit, a me non a

mundo emere, pretio scilicet bonae voluntatis, aurum pretiosae vitae contra tuae miserae vitae scoriam, ignitum caritate contra tuae paupertatis inopiam, probatum in sufflatorio bonae famae contra tuae infamiae foetorem, et vestimentis albis induaris contra tuae foeditatis nuditatem, et collyrio inunge oculos tuos contra tuae insipientiae caecitatem.

14. --- Et nota quod istud collyrium, quo oculi animae illuminantur, componitur ex quinque verbis Passionis dominicae, quasi quinque herbis, de quibus dicitur in hodierno Evangelio: *Tradetur enim gentibus et illudetur, et flagellabitur et conspuetur; et postquam flagellaverint occident eum (Lc 18, 32-33).* Heu! Heu! captivorum libertas traditur, angelorum gloria illuditur, omnium Deus flagellatur, speculum sine macula et candor lucis aeternae (Cf. Sap 7, 26) conspuitur, morientium vita occiditur, et quid nobis miseris ulterius restat agendum, nisi ut eamus et moriamur cum illo? (Cf. Io 11, 16). Trahe, inquit, nos, o Domine Iesu, de luto faecis, uncino tuae crucis, ut currere valeamus non dico in odorem (Cf. Cant 1, 3) sed in amaritudinem tuae Passionis. O anima mea, compone tibi collyrium, fac tibi planctum amarum super mortem unigeniti (Cf. Ier 6, 26), super Passionem Crucifixi. Dominus innocens traditur a discipulo, illuditur ab Herode, flagellatur a praeside, conspuitur a Iudeorum plebe, crucifigitur a militum cohorte; de quolibet istorum breviter pertractemus.

15. --- Traditus est a suo discipulo. *Quid, inquit, vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? (Mt 26, 15).* Proh dolor! ponitur in pretio res impreiabilis. Heu! Heu! Proditur, exiguo venditur aere Deus. *Quid, inquit, vultis mihi dare?* O Iuda, Deum Dei Filium tamquam vile mancipium, tamquam *canem mortuum* vis vendere, cum non tuam sed ementium requiris voluntatem. *Quid, inquit, vultis mihi dare?* Et quid tibi possunt dare? Si

Ierosolymam, Galilaeam et Samariam tibi dederint, numquid Iesum emere poterint? Si caelum et angelos, terram et homines, mare et omnia, quae in eis sunt, tibi dare potuisserent, numquid Dei Filium, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (*Col 2, 3*), emere valuissent? Non utique!

Numquid Creator a creatura emi vel vendi potest? Et tu dicis: *Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam?* Dic mihi: in quo tibi nocuit et quid tibi mali fecit, quia dicis: *et ego eum vobis tradam?* Ubi illa incomparabilis Filii Dei humilitas et voluntaria paupertas? Ubi benignitas et affabilitas? Ubi illa dulcis praedicatio et miraculorum operatio? Ubi illae lacrimae piissimae super Ierusalem et morte Lazari effusae? Ubi privilegium quod te elegit in apostolum et fecit familiarem amicum? Haec et his similia cor tuum emollire et te ad misericordiam debuerant provocare, ne dices: *et ego eum vobis tradam.* O quanti hodie Iudei Iscariotes, quod interpretatur merces, qui mercede alicuius commodi temporalis veritatem vendunt osculo adulacionis proximum tradunt, et sic ultimo laqueo aeternae damnationis se suspendunt.

16. --- Illusus etiam fuit ab Herode. Unde dicitur in Luca: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba* (*Lc 23, 11*). Dei Filius spernitur ab Herode vulpe - *Ite, inquit, dicite vulpi illi* (*Lc 13, 32*) - et eius exercitu, cui angelorum exercitus, indefessa voce, proclamat: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus Sabaoth; cui, ut dicit Daniel, milia milium ministrant et decies centena milia assistunt (*Cf. Dan 7, 10*). *Et illusit,* inquit, *indutum veste alba.* Pater induit Filium suum Iesum veste alba, id est carne ab omni labe peccati munda a Virgine immaculata assumpta. Deus Pater Filium glorificavit, quem Herodes sprevit. Pater veste alba induit, et Herodes indutum illusit. Proh dolor! Sic fit hodie! Herodes interpretatur gloria pellis, et significat

hypocritam, qui in exteriori conversatione quasi in pelle gloriatur, cum *omnis gloria filiae*, idest animae, *regis caelestis* sit *ab intus* (Ps 44, 14). Hic Iesum spernit et illudit: spernit, cum crucifixum praedicat et crucifixi stigmata non portat; illudit, cum sub gloria pellis se abscondit, ut Christi membra decipere possit. Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps. Gloria pellis hodie quot decipit herodiana!

17. --- Fuit etiam flagellatus a Pontio Pilato. Unde in Ioanne: *Tunc apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit* (Io 19, 1). Dicit Isaia: *Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculationem, quandocumque pertransierit tollet vos* (Is 28, 18-19). Ne flagellum istud, per quod mors aeterna vel diaboli potentia intelligitur, nos conculcaret, omnium Deus, Dei Filius, fuit ad columnam, tamquam latro, ligatus et atrocissime flagellatus, in tantum ut sanguis undique emanaret.

O mansuetudo divinae pietatis, o patientia paternae benignitatis, o profundum et inscrutabile aeterni consilii arcanum! Videbas, Pater, Unigenitum tuum, tibi coequalem, ad columnam tamquam latronem ligari et flagellis sicut homicidam laniari; et quomodo te continere potuisti? Gratias tibi agimus, Pater sancte, quia per dilecti Filii tui vincula et flagella a vinculis peccati et flagellis diaboli sumus liberati. Sed, proh dolor! Pontius Pilatus iterum flagellat Iesum Christum. Pontius interpretatur declinans, Pilatus malleator, vel ore contundens, et significat illum qui declinat a bono proposito et post votum redit ad vomitum. Hic ore blasphemо et linguae malleo contundit et flagellat Christum in membris suis; egressus enim cum Satan a facie Domini (Cf. Job 2, 7) ordini detrahit, istum vocat superbum, illum accusat gulosum, et, ut ipse innocens appareat, alios nocentes iudicat, ut sub multorum ignominia suam valeat iniquitatem palliare.

18. --- Fuit etiam Iudeorum sputis illitus. *Tunc, inquit Matthaeus, expuerunt in faciem eius, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ei dederunt (Mt 26, 67).* O Pater, caput Filii tui Iesu, archangelis tremendum, arundine percutitur, facies, in quam desiderant angeli prospicere (Cf. 1 Pt 1, 12), Iudeorum sputis foedatur, alapis caeditur, eius barba depilatur, colaphis caeditur, per capillos trahitur; et tu, clementissime, taces et dissimulas, et potius vis ut unus tibi unicus sic conspuatur, sic colaphizetur, quam tota gens pereat (Cf. Io 11, 50). Tibi laus, tibi gloria, quia de Filii tui Iesu sputis et alapis et colaphis theriacam nobis fecisti, quae expelleret animae nostrae venenum.

Vel aliter. Facies Iesu Christi sunt Ecclesiae praelati, per quos, tamquam per faciem, cognoscimus Deum. In hanc faciem perfidi Iudei, idest perversi subditi, conspuunt, cum ipsis praelatis detrahunt et maledicunt, prohibente Domino ac dicente: *Principem populi tui non maledices (Act 23, 5, Cf. Ex 22, 28).*

19. --- Item, a militibus fuit crucifixus. *Milites, inquit Ioannes, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius etc. (Io 19, 23).* O vos omnes, qui transitis per viam, gradum figite, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus (Lam 1, 12). Discipuli fugiunt, noti et amici recedunt, Petrus negat, Synagoga spinis coronat, milites crucifigunt, Iudei deridentes blasphemant, felle et aceto potant; et quis dolor sicut dolor meus? *Manus enim tornatiles, ut dicit sponsa in Canticis, aureae, plenae hyacinthis (Cant 5, 14), clavis fuerunt confixae.* Pedes, quibus mare se calcabile praebuit cruci clavis affixi. Facies, quae lucet sicut sol in virtute sua (Cf. Apoc 1, 16), in pallorem fuit mortis mutata. Oculi dilecti, quibus nulla creatura invisibilis, in morte sunt clausi. Et, quis dolor sicut dolor meus? Inter haec omnia solus Pater praestitit adminiculum, in cuius manus commendavit spiritum,

dicens: *Pater, in manus tuas commendabo spiritum meum* (*Lc 23, 46*). *Et, cum haec dixisset, inclinato capite, qui alibi non habuit ubi caput reclinaret, tradidit spiritum* (*Io 19, 30*).

Sed, heu! heu! Iterum totum corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, crucifigitur et occiditur. In quo alii sunt caput, alii manus, alii pedes, alii corpus. Caput sunt contemplativi, manus activi, pedes praedicatorum sancti, corpus omnes veri christiani. Hoc totum Christi corpus quotidie milites, idest daemones, suis suggestionibus, quasi quibusdam clavis, crucifigunt; Iudei, pagani, haeretici blasphemant, felle et aceto doloris et persecutionis potent. Nec mirum: *omnes enim qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur* (*2 Tim 3, 12*).

Bene ergo dicitur: *Tradetur, illudetur, flagellabitur, conspuetur et crucifigetur.* Ex his quinque verbis, quasi quinque pretiosissimis herbis, fac tibi collyrium, o angele Laodiciae, et inunge oculos tuae animae, ut lumen recipias, et audire valeas: *Respice, fides tua te salvum fecit* (*Lc 18, 42*).

Rogemus ergo et instanter, carissimi, mentis devotione postulemus, ut Dominus Iesus Christus, qui caecum a nativitate, Tobiam et Laodiciae angelum illuminavit, nostrae animae oculos, fide suae Incarnationis, felle et collyrio suae Passionis, illuminare dignetur, quatenus in splendoribus sanctorum, in claritate angelorum, ipsum Filium Dei, lumen de lumine, videre mereamur, ipso praestante, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.